

næ defectionem terrestri itinere non poterant) Clodium
 sunt delati. Dum hæc Veneti expediunt, Picininus ad
 Athesim copias admoverat, cui eas trajicere paranti An-
 dreas Donatus, qui Florentia reversus Patavium Prætor
 missus fuerat, & Hieronymus Contarenus cum subitario
 milite adversa ripa se objiciunt. Gonzaga interim duode-
 triginta galeones, quos apud Hostiliam instructos habue-
 rat, per Tartari fluminis hostium, ejus alveo ad hoc ipsum
 laboriose aperto, in paludes quæ inter Leniacum & Pa-
 danos aggeres jacent, traduxit. Nec alveo solum purgato
 opus fuit; sed uligine etiam, quæ amnem ipsum palu-
 desque interjacebat, defossa, vadum navibus in Athesim
 aperuit. Duobus locis fluvijs, ruptis aggeribus, tertiam fe-
 re sui partem in ipsas exonerabat paludes, ad Castagna-
 rium vicum, quadraginta infra Leniacum stadia, & ad
 locum, cui *Maloperæ* nomen est. Sed Veneti ea loca,
 jam antea objectis molibus, obstruxerant, linternique
 multarum ac celocium classe ad ea tutanda Marino Con-
 tareno & Lodovico Molino Præfectis apposita. Primi igitur
 hostium conatus circa Castagnarium fuere: quibus ob-
 structum vadum refringere parantibus, Molinus Contare-
 nusque ferociter occurrunt: contractoque certamine, ho-
 stis, quum se parum profecturum videret, cerneretque ul-
 teriorem ripam ab iis inessam, quos Donatus tumultuo-
 se eo traxerat, pauca quædam sub solis occasum ad osten-
 tationem conatus, intempesta nocte inde profectus, ad Ma-
 loperæ vada annavigavit. Hic nullo prohibente, vadi mu-
 nitionibus refractis, octo galeones Athesim ingressi ad mil-
 le viros, quorum plurimi inerant sagittarii, in ulteriorem
 ripam exposuere. Donatus, contempta hostium paucitate,
 quos utique non ignorabat, facile a se opprimi posse, ut
 in hostes commodius pugnaret, paululum infra Baldum
 pontem jacere statuit. In quo ponendo dum occupatus
 esset, interim in hostes, qui trajecti fuerant, Tybertus
 Brandolinus cum trecentis equitibus, quos habuit, fero-
 citer impetum fecit. Ipsi quoque classis ductores hostem
 secuti, medio flumine cruentam pugnam ciebant, qua

Con-